
Foltański Stanislaus
Conclusiones Theologicae.

(s. l. s. a.)



IN NOMINE DOMINI AMEN.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ.



Ex 1ma 2dæ Divi THOMÆ *Doctoris Angelici,*

I.

HOmo omne illud, quodcunq; vult, aut humano modo operatur; propter ultimum finem formalem agit virtualiter tam ex parte operis quàm ex parte operantis.

II.

NUllus homo pro eodem tempore potest habere duos vel plures fines ultimos totales adæquatos ut utrumq; efficaciter appetat.

III.

SOlus DEUS Illeq; Unus & Trinus est Beatitudo Objectiva hominis.

IV.

NUllus homo seclusa fide habet aliqvem appetitum ad Beatitudinem objectivam supernaturalem, scilicet ad DEUM Beatificantem clarè ac intuitivè videndum.

V.

FOrmalis Beatitudo in clara DEI visione adæquatè consistit.

VI.

BEati in Patria ita necessariò amant DEUM, quoad exercitium; ut ejusmodi exercitium suspendere non possint.

f.f. VII.

VII.

BEati in Patria sunt ab intrinseco impeccabiles & in sua beatitudine perpetui.

VIII.

ANimæ Beatorum quibus nihil luendum superest, post separationem à corpore, obtinent essentialem Beatitudinem & accidentalem sibi extra corpus convenientem.

IX.

MOralitas actuum humanorum desumitur ex objecto morali ejusdem actus prout rectæ rationi subjicitur.

X.

AD actus morales non solum objectum, sed finis & circumstantiæ concurrunt.

XI

ACtus exterior prout est mera executio actus interni non adjungit ei bonitatem aut malitiam in ordine ad præmium vel pœnam essentialem.

XII.

DAntur actus humani secundùm speciem suam indifferentes ad bonitatem & malitiam non autem secundùm individuum.

XIII.

OMnis actus humanus est voluntarius quo ad actus elicitos, non verò quo ad imperatos.

XIV.

VEra & propriè dicta libertas essentialiter consistit in indifferentia contradictionis quâ voluntas potest agere vel non agere nec sufficit sola spontaneitas.

XV.

RAdix & origo libertatis in voluntate est indifferentia judicij rationis sive intellectûs.

XVI.

XVI.

LIcèt voluntas Physicè & efficaciter præmoveatur à DEO, tamen per hoc non læditur sed perficitur ipsius libertas.

XVII.

NUnquam est licitum agere contra conscientiã rectam præcipientem, bene tamen contra consulentem.

XVIII.

NEq; etiam contra conscientiam errantem, aut cum conscientia dubia licet agere; bene tamen contra conscientiam scrupulosam, quando scrupulus nullo, aut infirmo, aut levi argumento nititur.

XIX.

NOn licet sequi opinionem libertati faventem, & minus probabilem in concursu opinionis alterius stantis pro lege & simul probabilioris.

XX.

EX opinionibus æquè probabilibus quarum altera favet legi: altera libertati; ea teneri debet quæ tutior est.

XXI.

AD constitutivum legis pertinet, ut sit ordinatio rationis, ut respiciat bonum commune, ut feratur ab eo qui curam communitatis habet, & ut sit promulgata.

XXII.

OMnes res creatæ quæcunq; illæ sunt, sive contingentes, sive necessariæ (licèt non eodem modo) subjiciuntur legi æternæ.

XXIII

LEx æterna considerata in se seu ut est in DEO, à solo DEO & Beatis cognoscitur: prout verò est in suis effectibus, secundùm majorem vel minorem irradiationem; ita quoq; ab homine viatore cognosci potest.

XXIV.

LEx naturalis mutationem propriè dictam & dispensationem pati nequit.

XXV.

LEx humana potest præcipere aut prohibere actus internos, qui per se sunt causa exteriorũ illos sufficienter manifestantium; imò etiamsi per exteriores non manifestentur, modò per se requirantur ad integritatem in genere moris ut conditiones necessariæ.

XXVI.

LEges humanæ tam Ecclesiasticæ quàm Civiles habent vim obligandi in foro conscientiæ, & interdum cum dispendio vitæ.

XXVII.

LEx humana potest pati epikijam cum mutationem & abrogationem.

XXVIII.

LEx vetus fuit à DEO data per Angelos Moysi apparentes in corpore sibi formato, quæ defacto abrogata est.

XXIX.

LEx vetus fuit prius mortua quàm mortifera.

XXX.

LEx nova si sumatur secundùm præcipuam sui partem scilicet Gratiam, incepit ab initio mundi: si verò sumatur prout est præceptiva; non uno tempore secundùm omnes sui partes incepit, quæ tamẽ in finem mundi duratura est non ultra.

Ad M.D.O.M. G.B.M.I.C.V.H.D.J.C.
ac SS. OO. Cultum & Venerationem.

Defendentur in Lectorio CC. DD. Theologorum Studij Generalis Universitatis Cracoviensis à M. Stanislao Foltanski, *Philosophiæ Doctore Ejusdemq; in Collegio Minori Professore, sub assistentia* M. JOSEPHI POPIOŁEK *S. Theologiæ Professoris, Ecclesiæ Collegiatæ S. Floriani Canonici, Annô Domini* 1749. *Die* 27. *Novembris.*





~~Foltański Staniski~~

~~Conclusiones theologicae ex prima secunda~~
~~D. Thomae, Doctoris Angelici.~~